

§. XV.

Utuntur quidam [sic!: quidem?] iisdem, cum Oratoribus, Poëtæ verbis, interdum tamen, vel metri necessitate, vel rerum vivacius pingendarum gratia, ad singularia rerum nomina fingenda adiunguntur. Scatent talibus verbis omnia Carminum genera, nemo tamen Comicos, risum excitaturos, fingendi audacia antecessit. Verum cum oratoribus non nisi iis, quæ à pœstantissimis aureæ æstatis scriptoribus civitate donata & consuetudine recepta, verbis uti liceat, suasor ego casto nitidoque stilo usuro non essem, ut ex ligata ad solutam Orationem facta Poëtarum verba transferat. Alter à Quintiliano, Rhetorum Principe, edocutus, cui non solum, ex varia ratione lingvarum mixta, oratio displaceat; sed & simile vitium esse videtur, si quis poëtica vulgaribus misceat. Hæc fingendi consuetudo apud plerosque pœstantissimos Romanorum Poëtas adeo invaluit, ut Flaccus sua in arte poëtica hanc commendaverit licentiam, pœceptisque fingendi modum illustraverit: |

9

*In verbis etiam tenuis cautusq; serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrari recentibus abdita rerum &c.*

§. XVI.

Non quidem hac libertate abdicandas [sic!] esse Poëtas, sed male ab oratoribus sibi exemplo proponi censeo. Quod quo facilius percipiatur, aliqua ex nostra placet adducere vernacula exempla:

Tyrann! dieß ist die Hand, die du entsceptert hast,
In ligata non adeo indecorum est, sed in prosa incongrua & affectata
effet imitatio, e. g. Aus Schweden läufft die Nachricht ein, daß sich die
Königin selbst entsceptert habe. Hæc vanorum hominum stilo relinquenda
funt:

Ich sehe dich O Held entgeistert vor mir liegen.

Non, nisi ficto eliminato, verbo profæ induit formam; ita enim dicendum est: Ich sehe den Helden todt vor mir liegen. Adtendi etiam meretur, non proprium tantum Poëtis factorum esse | usum verborum, sed & usitata alio 10 modo construi verba, e. g. Opitus:

O Mars, ich singe dich, du starcker Gott der Kriege.

Aliena plane à communi loquendi forma est, dictio, quæ non confundi cum soluta oratione potest.

§. XVII.

Differunt tandem ab Oratoribus Poëtæ conceptibus, & styli caractere. Brevi hæc comprehensa periodo pœcipua Poëeos capita sunt, quæ tantam explicandarum rerum ubertatem continent, ut, singula si distinctius, enucleatiusque tractare velimus, singulis propria decernenda effet dissertatio. Verum cum hujus non sit loci, conceptus quomodo formandi sint, quō ordine quo styli genere proponi debeant, docere, contentus sum, si modo, fictionem singulare Poëeos ornamentum, per quod à soluta distingvatur oratione, constituere indicavero.